

## PARS V.

### PSALMI, LIBER PROVERBIORUM, ECCLESIASTES, CANTICUM CANTICORUM, LIBER SAPIENTIAE, ECCLESIASTICUS

*Psalmus est profligandis daemonibus ac depellendis quoddam amuletum, angelicae tutelae conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, divinorum requies laborum... incipientibus — elementaris est institutio psalmus, proficiens augmentum, perfectis denique sufficiens stabile firmamentum, vox est ecclesiae psalmus. Hic dies festos illustriores reddit ac perfundit gaudio, cum tristitiam alioquin operetur, sed quae secundum Deum est: e corde enim lapideo ciet lacrymas... in hoc (psalterio) sane reconditus est perfectae theologiae thesaurus. Hic reperias de Christi in carnem adventu oraculum, comminationem iudicii, resurrectionis spem, terrorem intentati supplicii, gloriae promissionem, revelationem mysteriorum. In psalmorum libro perinde ac in amplissimo quopiam et communis promptuario nihil non bonorum reconditum est.*

S. BASILIUS M. Praefat. in psalmum primum.

#### SECTIO I.

#### DE LIBRO PSALMORUM

PSALMUS hebraice *mizmor* בְּזִמְרָה dicitur, quae vox cantum sive sonum significat. Deducitur enim a radice זָמַר *zamar*, quae et canere, et cytharam sive psalterium pulsare significat. Id ipsum apud graecos φάλαρα significat, ex quo φαλαρός *psalmus* derivatur et nomen φαλτήριον *psalterium*, quod licet musicum instrumentum sit, alio nomine νέβελ *nabium* (hebraice נֶבֶל *nebel*) appellatum, vel *decachordon*, quia passim decem chordis seu fidibus instructum erat, quamvis interdum ambo illa, *psalterium* et *decachordon* distinguantur; tamen etiam ac non infrequentiter vox illa *psalterium* pro ipsis *psalmorum* libro sumitur. Por-

ro hunc librum hebraei appellant סִפְרַת הַלִּילִים *librum hymnorum*, quod nomen illi a maiori parte inditum est; nam praeter hymnos seu laudationes Dei etiam querelas et lamentationes, et imprecações, et narrationes etc. continet. Praecipius autem scopus psalmorum est Christus et ecclesia, iuxta effatum pp. *Hieronymi*, *Hilarii*, *Augustini* etc., ac ipsis *Davidis* (1).

An vero *David* sit auctor omnium psalmorum, dubium est et controversum. Nam aliqui pp. (2) psalmos iis auctoriibus tribuunt, qui in titulis psalmorum praenotantur, *Davidi*, *Moysi*, *Salomoni*, *Asaph*, *Iddi* etc. Ats. *Augustinus* (3) aliique

(1) Vide II. Reg. c. 25, v. 1 et 2.

(2) V. *Salmeron*, proleg. c. 10, can. 28.

(3) L. 17 de Civ. Dei, c. 14.

*Davidem* psalmorum omnium auctorem agnoscunt. Utraque sententia suis nititur argumentis; quamvis ea, quae psalmos omnes *Davidi* tribuit, communior et magis recepta sit (1); cui tamen *Calmet* (2) cum quibusdam aliis contradicit, adstipulantes. *Hieronymo*, qui epist. 139 expresse ait: « Sciamus quoque, errare eos, qui omnes psalmos David arbitrantur, et non eorum, quorum nominibus inscripti sunt. » Ita s. *Hieronymus* cum aliis. « Ego autem (utar verbis Theodoreti praefat. in psalm.) de his non multum contendem. Quid enim refert, si ve huius (i. e. Davidis) omnes, si ve illorum aliqui (psalmi) sint: cum constet divini Spiritus afflatus universos esse conscriptos? » Eadem erat *Gregorii M.* (3) sententia, tractantis de auctore libri *Iob*. « Sed quis haec scripserit, ait ipse, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui haec scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui et illius operis inspirator extitit etc. »

1. QUAERES I. Quisnam fecerit psalmorum collectionem, qualis *hodie extat*? Antequam respondeam observo, hic non quaeri, quisnam sit auctor psalmorum: de hoc enim paulo ante in praefatione diximus. Sed quaestio est, quis psalmos seu a *Davide*, seu partim ab hoc, partim ab aliis compositos collegerit in hunc ordinem, quo *hodie* habentur? Ad hanc igitur quaestionem R. et dico: Collectio psalmorum, quae *hodie* extat, non abs re passim adscripta est. *Esdrae* post captivitatem babilonicam canonem sacrorum libro-

(1) Vide *Salmeron* loc. cit.

(2) In dissertat. praefixa commentario suo in psalmos.

(3) Praefat. in exposition. moral. lib. *Iob*.

rum veteris testamenti concinnantes. *Hilarius* (4) tamen eandem *LXX* interpretibus attribuit.

Dixi: *Collectio psalmorum*, quae *hodie extat*. Nam verisimiliter aliqua psalmorum collectio iam aevo *Davidis* (5) extitit, cuius clausula fuerit quae legitur his verbis (6): *Defecerunt laudes David filii Iesse*. Sat certum quoque est, tempore *Ezechiae* regis aliquam psalmorum collectionem fuisse; cum ille pristinum Dei cultum restituens, psalmos *Davidis* in templo cantari iussit (7).

2. QUAERES II. *An psalmi in bibliis sint secundum seriem rerum, de quibus agunt, gestarum, vel eo ordine dispositi, quo primitus ab auctore suo fuere composti?* R. negative. Nam psalmus 3 scriptus fuit, quando *David* fugiebat persecutionem *Absalonis* filii sui; psalmus 50 vero multo antea fuit scriptus, quando nimis *David* reprehensus fuit a *Nathan* propheta ob crimem adulterii et homicidii: psalmus 141 autem adhuc prius scriptus est, quando scilicet idem *David* in spelunca ob metum *Saulis* regis delitescebat: similiter psalmus 143 longe antea scriptus est, quando nempe *David* cum *Goliath* gigante pugnavit: certum quoque est psalmum 71 esse omnium postremum ordine temporis, cum scriptus sit in *Salomonem* iam regnare incipientem, et post eum psalmum addatur: *Defecerunt laudes David filii Iesse*; et tamen videmus hunc psalmum non in ultimo loco, sed fere in medio constitutum.

Cur autem hoc ordine, quo eos *hodie* habemus, psalmi dispositi

(4) In prologo psalm.

(5) II. *Paralip.* c. 29, v. 25.

(6) Psal. 71, v. 20.

(7) II. *Paralip.* c. 29, v. 25 et 50.

sint, non est facile divinare. *Philaster* (1), *Eusebius* (2), s. *Chrysostomus*, aliquique communiter huius ordinis rationem assignant, quia psalmi (sicut et aliae partes s. Scripturae) aliquoties, et maxime in captivitate babylonica periere: post hanc vero solutam non omnes simul fuere recuperati, sed dispersi, nempe vel unus, vel duo, vel tres forte aut plures psalmi. Coniungebantur autem ab *Esdra*, vel ab alio collectore in unum librum ita, ut fuerunt inventi; non autem, ut ab initio dicti sunt.

**SCHOLION.** In psalmis non quaerendus magis anxie ordo, quam in aliis libris tum sacris, tum etiam profanis. Nam e. g. epistolae *Pauli* non habent dispositionem temporis, nec eo ordine in nostris bibliis continentur, quo scriptae sunt (3). *Plinius* quoque junior de suis idem testatur epistolis, causam reddeins, quia non componebat historiam, quae id videlicet exigit proprie. Eadem de *Cicerone* ratio, cuius Tyro epistolas nullo certo compositionis ordine concessit.

3. QUAERES III. *An igitur ordo psalmorum, qualis hodie extat, sit mere casualis?* Non negative. Quamvis enim verisimiliter psalmi ab *Esdra* vel alio collectore dispositi sint eo ordine, quo sunt inventi; non tamen existandum est, quod haec inventio et collectio prorsus fuerit casualis, sed divina sic ordinante providentia facta est. Unde s. *Augustinus* (4) ait: *Ordo psalmorum mihi magni sacramenti videtur continere secretum. Ets. Chrys-*

(1) *Haeres.* 79.

(2) In prooemio psalm. et in ps. 86.

(3) Vide *Tirini* praefationem de epistolis apostolorum, aut *Hermannii Goldhagen* ordinem chronologicum epistolarum s. *Pauli* introduct. in s. *Scriptur.* p. 3, n. 429 exhibatum, ubi epistola 1 et 2 ad Thessalonenses dicuntur tempore, quo

*sostomus* observat, tristiores psalmos fere primo ordine collocatos; laetiores et qui laudem sonant, ad finem reservatos esse, ut laboribus doloribusque excitatus animus, in Dei laudes, inque ipsum *alleluia* desineret, ibique facto fine conquiesceret. *Bellarminus* (5) quoque non contemnendam censem illorum opinionem, qui volunt primos quinquaginta psalmos, quorum ultimus incipit, *miserere mei Deus*, pertinere ad poenitentes, sive incipientes: alteros quinquaginta, qui desinunt in psalmum, *misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine*, pertinere ad iustos proficientes: postremos quinquaginta, quos concludit psalmus, *laudate Dominum in sanctis eius*, pertinere ad viros consummatos et perfectos. Denique alio adhuc modo mysteriosum psalmorum ordinem in tabula exhibit egregius sacrarum litterarum interpres *Rondetus* (6) contra thesin an. 1762 Parisiis evulgatam huius tenoris: *Nullus in psalmorum collectione quaerendus est ordo... frustra igitur in psalmorum hodierna dispositione materiarum ordinem quaerant ss. Hilarius, Augustinus etc.* Contra hanc thesin *Rondetus* eruditam tabulam proposuit et exposuit, in qua psalmorum syllogen pro mistico apud hebraeos alphabeti ordine in 22 sectiones partitur.

4. QUAERES IV. *An psalmi originaliter sint metrice seu ligata numeris oratione compositi, et qualiter metro?* Non. Metrice psalmos compositos esse, communis est etiam opinio ss. patrum. Tres solum ad-

scriptae sunt, omnes alias s. *Pauli* epistolas praecedere; epistola vero ad romanos multo posterius tempore scripta assentur, etc.

(4) *Enarrat.* in ps. 450.

(5) *Praefat.* in psalm.

(6) *Journal ecclésiastique octobr. 1763, et seqq.*

duco. S. *Cyrillus Hieros.* (1) de libris sacris disserens, ait: *Scripti autem versibus sunt quinque, Iob, liber Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, et Cantica canticorum. Similiter s. Hieronymus* (2) ait: « *Quod si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud hebraeos, et in morem nostri Flacci, graecique Pindari et Alcaeui, et Sapphus, vel Psalterium, vel lamentationes Ieremiae, vel omnia ferme Scripturarum Cantica comprehendi; legat Philonem, Iosephum, Origenem, Caesariensem Eusebium, et eorum testimonio me verum dicere comprobabit.* » Tertius est s. *Augustinus* (3) ita disserens: « *Quibus numeris consistant versus davidici, non scripsi, quia nescio. Neque enim ex hebraea lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros interpres exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate amplius, quam ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur: certis tamen eos constare numeris, credo illis qui eam linguam probe callent. Amavit enim ille vir sanctus (nimurum David) musicam piam, et in ea studia nos magis ipse, quam ullus alias auctor accedit.* » Est igitur consensus patrum psalmos originaliter fuisse metrice compositos. Neque obstat auctoritas s. *Gregorii Nysseni* (4) negantis, eandem artem, ut in psalmis inest, similem ei esse, qua utuntur alii poëtae. Is enim sic explicari potest, ut hebraicam poësin graece et latine similem esse negaverit, non ut nullam apud hebraeos poëticam, nulosque libros sacros metro

(1) *Catechesi* 4.

(2) *Praefat.* in lib. *Iob*.

(3) *Epist.* 101, alias 151, ad *Memorium episcopum*.

(4) *Tractat.* 4 in *psalm*.

(5) *Ante commentarium in Exod. et ante commentar. in psalm.*

seu modulis adstrictos, praesertim psalmos davidicos, agnoverit. Porro de poësi hebraeorum dissertationem d. abbatis *Fleury*, et illustriss. *Calmet* invenies apud eundem *Calmetum* (5).

Quali autem carmine, seu metri genere editi psalmi sint, hodie neciscitur. Fuit quidem adhuc *Hieronymi* saeculo cognita poësis Scripturarum, ut ex huius s. patris (6) verbis colligitur, de libro *Iob* ita scribentis: « *A principio itaque voluminis usque ad verba Iob apud hebraeos prosa oratio est.* Porro a verbis *Iob*, in quibus ait: *PEREAT DIES, IN QUA NATUS SUM...* usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est: *IDCIRCO IPSE ME REPREHENDO, ET AGO POENITENTIAM IN FAVILLA ET CINERE:* hexametri versus sunt, dactylo spondaeoque currentes, et propter linguae idioma crebro recipientes et alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque rythmus ipse dulcis et tinnulus fertur numeris lege solutis. Quod metrī magis, quam simplex lector, intelligunt. A supradicto autem versu usque ad finem libri parvum comma, quod remanet, prosa oratione contextur. » Ex his, inquam s. *Hieronymi* verbis clare colligitur, ipsius aetate hebraeam Scripturarum poësin adhuc fuisse cognitam: hodie tamen eandem ignorari fatentur *Bellarminus* (7) *Ludovicus Lusitanus* (8), *Alphonsus Mendoza* (9), *Lorinus* (10), passimque ceteri. Et quamvis *Genebrardus* (11), post *Rabbi David Kimchi* affirmet, psal-

(6) *Loc. cit.*

(7) In institut. linguae hebr. part. 5, c. ult.

(8) *Quaest. de carm. David.*

(9) In *Globo ling. San.* l. 9, c. 1.

(10) *Praefat.* in *psalmos* c. 7.

(11) In *chronico ad annum M. 3106.*

mos vario metro constare, monet tamen, ad instrumenta musica decern generum scandendi rationem intercidisse, sicut et hodie magna ex parte *Pindari* et similium: nec hebreos ipsos satis perspectam habere rationem sacrae poëseos, et ipsosmet fateri, scandendi modum se ignorare. Hoc unum hebrei a iunt in tractatu *Sopherim* (sive de scribis), versus carminum biblicorum non paucos in suum statum iuxta mensurae rationem a scribis restitutos, cum ante fuissent a librariis confuse et permixte scripti. Ceterum qui plura de metro psalmorum nosse cupit, consulat *Natalen Alex.* (1), *Guarin* (2), *Menochium* (3) etc. etc.

**SCHOLION I.** Culpam, cur hodie metrum psalmorum etc. nesciamus, *Genebrardus* (4) refundit in masoretas. Nam dum distinguunt diligenterius versus per sententiae (quam conceperant) membra et periodos, metra sive mensuras versuum non modo neglexerunt, verum etiam confuderunt atque miscuerunt, quas fortasse proprius servaverunt LXX interpretes; ut non mirum sit, si inter utrosque nonnunquam distinctionum in notandis versibus varietas reperiatur.

**SCHOLION II.** Anabaptistae, cum assequi non possent rationem metri in textu hebreo psalmorum aut aliorum carminum biblicorum V. T., dixerunt, Scripturas depravatas esse. Verum si hoc valet, depravati pariter essent poëtae graeci latini-

(1) In 4 mundi aetat. dissertat. 24, q. 1, propos. 4.

(2) In grammatica hebraico-chaldaica.

(3) Centur. 1, c. 76.

(4) Loc. cit.

(5) L. 8 biblioth. sacr. haeres. 2.

(6) Ad *Marcellam*.

(7) In dissertat. praefixa commentario in psalmos, et in suo dictionario biblico v. *Selah*.

que antiquiores, potissimum tragicomische, quorum carminis hodie ignoratur artificium. Ceterum hanc anabaptistarum obiectionem pluribus refellit *Sixtus Senensis* (5).

**5. QUAERES V.** *Quid in textu hebreo psalmorum vox נְלָה SELAH, vel in textu graeco LXX interpretum vox διάψαλμα DIAPSALMA significet?* ¶ vox hebreæ *selah*, vel graeca *diapsalma* in psalmis iuxta communem hebreorum et interpretum opinionem designat certam rationem cantandi, nimirum vel pausam, vel elevationem vocis, aut mutationem melodiae, aut aliquid simile. In diversam tamen opinionem propendet s. *Hieronymus* (6) existimans hanc vocem *selah* idem significare ac *amen*, *in sempiternum*, *in aeternum*, vel *ita est*, aut aliquid simile. Plura de hac voce praeter alios erudit disserit *Calmet* (7).

**6. QUAERES VI.** *An liber psalmorum canonicus sit?* ¶ affirmative. Et profecto librum psalmorum fere omnes, qui s. Scripturam admittunt, pro divino et canonicō habent, etiam heterodoxi plerique. Neque id mirum; quia hunc librum canonicum et sacrum esse, non solum docent concilia, patresque, et omnes canoniconum seu divinorum librorum catalogi (8); sed et Christus ipse (9), apostoli, nominatim *Petrus* (10), et *Paulus* (11); dumque aliquos ex psalmis citant Spiritum s. per os psalmistæ locutum esse, asserunt (12). Porro psalmi vel in solo novo testamento fere sexagies citantur.

(8) Vide s. Scriptur. contra incredulos propugn., V. T., part. 4 num. 2-5.

(9) Matth. c. 22, v. 45 et 44.

(10) Actor. c. 1, v. 16.

(11) Ad Hebr. c. 4, v. 7.

(12) Locis modo citatis. Item hac de re disserit *Natalis Alex.* tom. 2 in quartam mundi aetatem, dissertat. 24, q. 1, propos. 4.

**SCHOLION.** Hoc insuperhabito fuerit quidam haeretici veteres, quos hac in re imitatus est *Nicolaus Machiavellus*, qui detrahentes *Davidis* auctoritati, hoe ipso psalmorum pariter davidicorum aestimationem immunitus censendi sunt. Sic *Philaster* (1) refert, *manichaeos*, *gnosticos*, *nicolaitas* affirmasse, *Davide* humanae cautionis, ac secularis rei conscriptorem extitisse. Similiter *Machiavellus*, in suo illo quem finxit principe, *Davidem* virum sanctum fuisse, negare ausus est, scribendo, cuncta eum sus de que in regno permutasse, esurientes implevisse bonis, divites dimisisse inanes. *Anabaptistæ* vero teste *Sixto Senensi* (2) asseverabant, psalmos neque a *Davide*, neque ab alio quodam sancto viro divinitus fuisse conditos, sed a recentioribus quibusdam iudeorum magistris post Christi adventum compositos: et diris multis, et imprecationibus in Christum et in christianorum gentem repletos, ut haberent hebrei ad captivitatis solatiam cantilenas non nullas, quibus publice in synagogis suis convenientes, orando et canendo, hostibus suis calamitates et exitium imprecarentur.

**7. QUAERES VII.** *An dirae seu imprecations in libro psalmorum (principue psalmo 108, v. 6 etc.) contentae, obsint sanctitati et divinitati huius libri?* ¶ Minime obsunt. Nam execrationes, quibus *David* in psalmis hostes Dei suosque diris devovere, infastaque omnia eisdem imprecari videtur, vel non sunt execrationes proprie tales, sed sub execrationis specie verae praedictiones et vaticinia, ut patres et interpres communiter exponunt; vel si

(1) De haeresib. c. 26.

(2) Bibliothec. sac. l. 8, haeres. 5.

(3) Vide *Lorinum*, comment. in psal. 78, v. 6.

sunt execrationes proprie sumtae, proficiscuntur non ex libidine vindictæ, sed ex amore iustitiae. suntque intelligendæ tanquam conditionales, hoc est, ut mali male pereant, nisi resipiscant; vel denique significant desiderium non poenae, sed destructionis culpæ. Non enim *David* mansuetissimus malorum hominum interitu delectabatur: comminatus est potius, quam imprecatus; homines dilexit, sclera odio habuit (3). Eleganter totam hanc rem explicat d. *Thomas* (4) his verbis: « Dicendum, quod huiusmodi imprecations, quae in s. Scriptura inveniuntur, tripliciter possunt intelligi. Uno modo per modum praenuntiationis, non per modum operationis, ut sit sensus psalm. 9, v. 18, convertantur peccatores in infernum, id est convertentur. Alio modo per modum operationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad poenam hominum, sed ad iustitiam punientis, secundum illud psalm. 57, v. 11: *laetabitur iustus, cum viderit vindictam*, quia nec ipse Deus puniens laetatur in perditione impiorum, sed in sua iustitia: quia *iustus Dominus, et iustitas dilexit*, psalm. 10, v. 8. Tertio ut desiderium referatur ad remotionem culpæ, non ad ipsam poenam: ut scilicet peccata destruantur, et homines remaneant. » Similia etiam habet s. *Augustinus* (5), et illustriss. *Calmet*, qui ita disserit (6): « Pluribus ergo de causis (psaltes regius) adversus inimicos suos obloqui potuit: 1. ex sincera correctionis illorum cupiditate. Eos percute, Domine, ut inique agere, ac lacessere tandem aliquando desistant. 2. Ut

(4) 2, 2, q. 25, art. 6 ad 3.

(5) Serm. 2 in psalm. 34, v. 6.

(6) Praefat. in psalm. 34.

in hoc mundo castigati , minoribus in altero afficiantur. 3. Ut eorum supplicium impios deterreat , qui ex illorum nequissimo exemplo paria conantur. 4. ut bonis scandalum adimatur , quod impii iniustis vexationibus ingerunt illis. 5. Ut Dei gloriam ac providentiam vindicit adversus impios , qui renunt intelligere, Deum iustorum praesidio invigilare. 6. Ne iusti pravo iniquorum exemplo corrumpantur.»

COROLLARIUM I. Imprecations et horrendae maledictiones in psalmo 108, qui vulgo *psalmus execrationis* dici solet, contentae, vel sunt vaticinia, et non imprecations; vel si tales sunt, eas *David* divino afflatus spiritu, ac ardentia iustitiae zelo succensus, ex iusto zelo, Deoque inspirante protulit. Si autem quae ras, contra quem, aut contra quos easdem protulerit? varia est interpretum responsio. Multi putant, illas *Davidem* protulisse adversus *Doëg idumaeum*, et in *Achitophel*, aliosque inimicos suos; vel, ut patres *Chrys.*, *Hieron.*, *Aug.*, *Theod.*, *Euthymius*, ac interpretes, duce s. *Petro* (1), communiter exponunt, futuram *Iudee Iscariotis*, et in daeorum Christi persecutorum infelicitatem praedixit; vel denique (ut *Calmetus* recte docet) psaltes regius utrumque fecit, hoc est, in sensu historico seu literali adversus *Doëg* et *Achitophel* terribiles illas minas protulit, in sensu vero elatiore et spirituali de *Iudea* et iudeis Christi persecutoribus vaticinatus est, quorum veluti figurae et praecursores erant *Doëg* et *Achitophel*.

COROLLARIUM II. Sensus verborum psalm. 138 v. 20 et 21 iuxta expositionem *Lorini* et aliorum est iste: *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam?* h. e. in peccatoribus crimi-

(1) *Acto. c. 4, v. 22.*

na et flagitia odisti, Domine, sed in illis id quod tuum est, diligis, nempe naturam humanam, et qualitates ingenitas, quarum auctor es. Ego quoque similiter facio; hominem amo, peccatum eius abominor. *Perfecto odio oderam illos*, h. e. eorum nequitiam et sclera perhorrescam. Unde s. *Augustinus* (*Enarrat. in hunc psalmum*) quaerit: *Quid est perfecto odio?* et respondet: *oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam.* Eodem sensu alibi (2) scriptum est: *odio sunt Deo impius et impietas eius*, nempe impietas invisa est Deo, impius vero tantum, quatenus impius est, seu ratione impietatis. Nam, quatenus creatura et homo est, amatur a Deo. Hinc etiam s. *Thomas* (3) ex instituto ostendit, quod, quamvis respiciendo culpam, diligendi peccatores non sint, secundum tamen naturam, ut divinae beatitudinis ipsi sunt capaces, ipsos quoque diligere debeamus.

8. QUAERES VIII. *An tantum 150 psalmi canonici sint?* n. Tam synagoga, quam ecclesia Christi ab antiquissimis temporibus non plures, quam 150 psalmos, qui in nostra vulgata extant, pro canonicis agnoscit, ut proinde a canonicae auctoritatis praerogativa excludatur *psalmus centesimus quinquagesimus primus*, qui in codice graeco LXX interpretum ad calcem psalterii adiectus est cum hac inscriptione: Οὗτος ὁ φαῖμος ἰδόγραφος εἰς Δαυὶδ, καὶ ἐξωθεν τοῦ ἀριθμοῦ, δύτε ἐμονομάχησε τῷ Γολιάδ. Quasi *Scriptus a Davide extra numerum, cum pugnasset cum Goliatho*. Porro hic psalmus in latinum translatus, ita sonat: « Parvus eram in fratribus meis, et iunior in domo patris mei: pascebam oves patris mei. Manus meae fecerunt organum. et

(2) *Sapient. c. 14, v. 9.*

(3) *Loc. cit.*

digitus mei concinnaverunt psalterium. Et quis annuntiabit Domino meo? Ipse Dominus ipse exaudit: ipse emisit angelum suum, et tulit me de oibis patris mei, et unxit me in oleo unctionis sua. Fratres mei pulcri et magni: et non bene complacuit in eis Dominus. Exivi in occursum alienigenae (philistaeo) et maledixit me in idolis suis: ego vero trahens gladium, qui ab illo, capite truncavi eum, et abstuli opprobrium ex Israël. » Verum de hoc psalmo *Bonfrerius* (1) non abs re ait: Psalmus ille, nescio quid adulterinum redolet et ecclesia hactenus tantummodo approbat psalterium 150 psalmorum. » Citatur quidem hic psalmus in supposititia *Mariae Cassabolensis* ad s. *Ignatium* epistola; et a s. *Chrysostomo* (2), et in conflictu *Arnobii* et *Serapionis*, et in sinopsi s. *Athanasio* adscripta. Sed, ut *Natalis Alex.* (3) merito observat, « horum auctorum testimonium canonicam auctoritatem huic psalmo conferre non potest, hebraica veritate, et melioris notae codicibus tam graecis quam latinis repugnantibus, patribusque caeteris invitatis, et ecclesia contradicente, quea centum quinquaginta psalmos duntaxat recipit. »

9. Multo enim longius a canonica auctoritate abest *PSALTERIUM SALOMONIS*, psalmis octodecim graece scriptis constans, ex augustanae bibliothecae vetustissimis membranis ab *Andrea Schotto* descriptum, postea ad *Ioannem Ludov. de la Cerdę* missum, ab eoque latine conversum et ad calcem *Adversariorum sacrorum* vulgatum. Haec enim istorum 18 psalmorum collectio, cum et ve-

(1) *Praeclq. in s. Script. c. 5, sect. 6.*

(2) *Homil. 17 ad populum antiochenum.*

(3) *Loc. cit. propos. 2.*

teri synagogae et ecclesiae Christi incognita manerit, *tutius credi potest*, inquit *Huetius* (4), « hellenistae alicuius opus esse, quo plurima cum ex davidicis psalmis, tum ex Isaia et Ezechiele et aliunde etiam ad id opus mutuatus fuerit. » Plura de hoc *psalterio Salomonis* refert *Calmetus* (5).

10. QUAERES IX. *An tituli psalmorum perinde ac ipsi psalmi canonici sint, divinamque auctoritatem habeant?* Ut ad propositam hanc quaestionem rite ac distincte respondeatur, praevie notanda sunt sequentia. Inprimis sciendum, varios esse psalmorum titulos. Nam non pauci nomina propria virorum praeseferunt *David*, *Asaph*, *Idithum*, *Salomonis*, *Mosis*, *Eman*, *Ethan*, *Ieremiae*, *Aggaei*, *Zachariae*, *Filiorum Core*, *Filiorum Ionadab*. Nonnullis psalmis in titulo praeter nomina propria quidquam aliud annexitur ad rem pertinens. Sic psalmi 62 titulus est: *Psalmus David cum esset in deserto Idumaeae*. Alii psalmi notant diem pro certis psalmis decantandis, e.g. *prima die sabbathi* etc., *ante sabbathum* etc. Plures psalmi adscriptum habent *Alleluia*; quidam cognomen *graduum*, nonnulli *orationis, laudationis, cantici* etc. Nonnulli psalmi sunt *alphabetarii* sive *acrostici*; nonnulli sine omni titulo et inscriptione etc. Accuratam autem horum titulorum explicationem invenies in *Bellarmino* et *Lorini*, aliorumve commentariis in psalmos.

Porro notandum, quod duplex sit de auctoritate horum titulorum diversa sententia. Praecipui quidam patres, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Theodoreetus* in titu-

(4) *Demonstr. evang. propos. 5, § 10.*

(5) In dictionario suo biblico v. *Salomon.*

lis psalmorum auctoritatem divinam agnovere. Sic *Theodoreetus* (1) adieci-  
tos censem eosdem titulos ab *Esdra*, non sine peculiari s. Spiritus affla-  
tu; servasse autem illos addit in sua graeca versione LXX interpretes, viros ab eodem s. Spiritu ductos, qui sane ab addendis s. Scripturae his additamentis cavissent, si ea humanum inventum esse iudicas-  
sent. Iudei quoque in synagogis eodem plane ritu et psalmum et titulum cantant, sieque veluti portionem quandam psalmi recipere titulos videntur. Eorum interpres rabbini, sicut et nostri commentatores, plurimum laborant in expone-  
ndis psalmorum titulis; quibus reiectis, auctores psalmorum fru-  
stra querantur. Unde etiam illus-  
triss. *Bossuet* episcopus melden-  
sis (2) apertis verbis ait: *Psalmorum titulos divinitus inditos conservatosque dicimus, ut psalmorum auctores, et argumenta noscerentur.*

Nihilominus non desunt recentiores critici, nominatim *Natalis Alexander* (3), et *Calmet* (4), qui non in omnibus titulis psalmorum divinam auctoritatem agnoscent. Argumenta ipsorum sunt, quae sequuntur. Quod non omnes illi tituli divina auctoritate instructi sint, inde probari aiunt, quia aliqui eorum nec a *Davide*, nec ab alio scriptore sacro compositi fuerunt, sed a pri-  
vatis hominibus, iisque interdum parum antiquis, appositi. Sic psal-  
mi nonagesimi titulus, cum ab hebreis codicibus, et a s. *Augustini* commentario absit, suam ipse prodi-  
vit novitatem, quae et s. *Hieronymi*, *Theodoreti* et *Euthymii* testimo-  
nio confirmatur, asserentium, hunc psalmum titulo carere. Praeterea

(1) Praefat. in psalmos.

(2) Dissertat. de psalmis, c. 6.

(3) Loc. cit.

(4) In dissertat. de psalmorum titulis,

ipse *Theodoreetus*, quamvis auctoritatem divinam tribuat titulis in tex-  
tu hebraeo et versione graeca LXX interpretum extantibus, tamen eos omnes reiicit, qui ibidem non ex-  
tant. Ita reprobandum censem titulum psalmi sexagesimi quarti, et putat, cum titulum recentioris ali-  
cuius scriptoris, satis historiae psal-  
morum sensus imperiti, opera ad-  
iectum esse. Imperitia pariter et stultitia accusat illos, qui psalmi centesimi trigesimi sexti titulum, cum in hebraeo nullus appareat, adiecerunt. Similia scribit de titulis psalm. 138 et 143 et 145 etc. Accedit, quod LXX interpres, vel alii posteriores graeci, alias, quam apud hebreos, titulos addiderint. Neque semper et in omnibus versionibus eosdem titulos legi contingit. Versio enim syriaca, vetustissima sane, non raro ea in re a textu hebraeo, et a versione graeca LXX interpr., et a textu latino nostrae vulgatae discrepat. Quis autem titulis, si omnes canonici essent, immutandis temerario ausu manum apposuisse unquam? Nunquid ecclesia, si titulos psalmorum in cano-  
nem recipiendos censeret, modum aliquem imposuisse tantae commentatorum licentiae, ac extra praescriptos in fronte psalmi limites praetergredi prohibuisse severissime? Neque id fecit ecclesia, dum in concilio tridentino canonicam auctoritatem nostrae vulgatae, adeoque etiam libri psalmorum adstruxit. Quod enim ipsius mens non fuerit, tunc etiam omnes psalmorum titulos declarare, esse divinae auctoritatis, atque canonicos, inde colligitur, quia hodie usque eruditissimi plures theologi (non reclamante,

que ipsius commentario in psalmos prefigitur; item in suo dictionario bibl. v. *Psalmus*.

aut improbante ecclesia) destru-  
strandum sibi sumunt, non omnes illos titulos divini Spiritus opus es-  
se, nec in censum divinarum Scripturarum cooptandos. Certe illus-  
triss. *Calmet* (1) expresse ait his verbis: *Concilium tridentinum canonicam auctoritatem textui vulga-  
tae adstruens, titulos librorum sa-  
crorum (loquitur ibi ex instituto de  
titulis psalmorum) in medio reliqui-  
se, omnes consentiunt.* Cum igitur satis conveniat inter theologos, non omnes aequi librorum sacrorum titulos pro inspiratis habendos (ali-  
quos enim divinitus inspiratos fuisse, non ambigimus, ait ipse *Cal-  
met*): fateamur oportet, eos, qui di-  
vinitus inspirati sunt, cum caeteris titulis immixtos confusosque, non satis posse distingui, ut proinde in ea, qua sumus ambiguitate neque reiicare omnes, neque probare tan-  
quam divinitus inspiratos et cano-  
nicos audeamus.

11. Quare omnibus consideratis, videtur media via in quaestione tenenda, et dicendum: 1. Psalmorum titulos omnes retineri et servi-  
vari oportet, cum inter illos non rari divinam habeant auctoritatem. 2. Qui a primis auctoribus, h. e. scriptoribus textus originalis, vel ab *Esdra* originem ducunt, divinae au-  
toritatis esse, dicendi sunt. 3. Tandem, qui sive ante, sive post *Esdram* profana manu, sive graeca, sive iudaica adieci sunt, dicta auctoritate carent. Neque sane patribus, qui di-  
vinam titulis auctoritatem astruunt, alia fuisse mens existimanda est, quam quod tituli in textu originali extantes, vel ab *Esdra*, aut aliquo propnetarum appositi, divinam ha-  
beant auctoritatem; caeteros vel ipse *Theodoreetus* non raro deseruit, ut supra vidimus.

(1) In suo dictionario biblico, v. *Psalmus*.

12. QUAERES X. *Cur liber psal-  
morum adeo obscurus?* R. Plures sunt tantae obscuritatis cause. I. Textus hebraici abstrusitas, quae sane in psalmis, utpote poëtico et metrico scripto, magis quam in aliis prosa exaratis libris, sese pro-  
dit; ferme sicut facilius intelliguntur e. g. libri *Ciceronis* aut *Titi Livii*, quam carmina *Horatii*, *Homeri*, *Pindari*, etc. In linguis autem or-  
ientalibus maxime difficultas aug-  
tatur, quorum prosa pariter oratio  
eas patitur figuras, quas raro, et non nisi cautissime latinorum poë-  
sis admitteret. Praeterea illorum (i. e. orientalium) carminis ea est sublimitas, ut et graecorum et ro-  
manorum poëtarum stilum et su-  
blimitatem saepe multum superet.  
Accedit ignorata vis particularum in lingua hebraea, contextum oratio-  
nis colligantium; quin et aliquando ab auctore, in argumenti magnitu-  
dine occupato, eaedem particulae  
omissae, lectorem in incerto vagan-  
tem relinquunt. II. Apparentes anti-  
logiae seu contradictiones: quamvis reapse tales non sint. III. Varie-  
tas sensuum; cum alius sit sensus literalis seu historicus, alius mysti-  
cus. IV. Praedictio rerum futura-  
rum. Est enim psalterium profun-  
dissimi et implexi sensus liber, in  
quo non mysteria tantum maxime  
sublimia, sed vaticinia etiam obscu-  
rissima pariter et aenigmatische pro-  
posita (2). Et quamvis sciamus in  
psalmis contineri futurorum oracu-  
la, et praeter literalem lectoribus  
obvium, penitorem alium esse et  
sub figurarum velaminibus latente-  
sensum: tamen quae determinate  
vaticinia in hoc aut illo psalmo,  
quisve contineatur sensus, non sem-  
per nobis constat. V. Illa gravissima  
(2) Vide *Hilar.* prolog. in psal. n. 5,  
et in ps. 4<sup>h</sup>2, et *Cassiodor.* conclus. com-  
ment. in psalm.

aeque omni conveniens Scripturae causa, cur adeo difficilis et obscura sit eius intelligentia, quia requirit eundem in lectore spiritum, quo scripta est. Tradunt eam causam *Basilius* (1), *Bernardus* (2), *Cassianus* (3). Nunquam intelliges *David*, ait *Bernardus* loc. cit., donec ipsa experientia ipsius psalmorum affectus indueris. Quo sane difficiliores psalmi ad percipiendum videntur, cum plusquam caeterae Scripturae affectibus abundant, et quidquid in illis est, in se continent.

SCHOLION. Librum psalmorum esse valde obscurum, nihil magis probat, quam immensa commentariorum in psalmos editorum multitudine. Sunt qui ultra 500 enumeraverint, non computatis veterum patrum commentariis. P. *Le Long* sacerdos oratorii, sedulus, si quis aliis et exactus earum rerum perscrutator, expansis tabulis ad 630 recensuit, iis demptis, qui super universam Scripturam commentaria elucubrarunt, tum et iis, qui psalterii solummodo partem aliquam prosecuti sunt; ut proinde teste *Calmeto* (4) omnibus collectis, ad 1000 scriptorum in psalmos summo constet. Accedit, quod etiam post hoc huius auctoris assertum quidam in psalmorum expositione magno studio laboraverint.

13. QUAERES XI. Quisnam sit praecipuus psalmorum scopus, a Spiritu s. intentus? Non multos duntaxat, sed omnes omnino psalmos ad Iesum eiusque ecclesiam collinare vel in sensu literali, vel in sensu spirituali seu figurato, gravissimis nititur rationum momentis,

(1) Prooem. in *Isaiam*.

(2) Ad fratres de monte Dei.

(3) Coll. 8, c. 5, l. 3, inst. c. 53 et 54.

(4) Praefat. in univ. psal. lib. § 5, et in dictionario bibl. v. *Psalmus*.

scilicet, 1. Assertione ipsius *Davids* (5) quasi communem ad psalmos praeformationem asserentis his verbis: *Dixit David filius Isai: dixit vir, cui constitutum est de Christo, hebraice hukkam al Mesciach*. Obvio hic sensu declarat *David* psalmorum argumentum fuisse id omne, quod ad Christum pertinet, prae-nuntiare, seque ipsum in his velut organum Spiritus s. extitisse. 2. Iesus Christus et apostoli psalmos in N. T. libris non alia de causa toties allegant, nisi ut eos de Christo accipiendo esse ostendant; ac licet non de omnibus et singulis mentionem faciant, utpote argumento, quod tractabant, minus convenientem, ipso tamen usu psalmorum, quos allegabant, generalem de germano omnium sensu regulam statuisse videntur. 3. Ss. patres legitimi s. Scripturae interpres eundem psalmorum scopum esse affirmant. Sic praeter *Tertullianum* (6) et alios *Hilarius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Theodoreetus* diserte admonent, omnes psalmos in persona Christi loqui, ac ad Christum eiusque ecclesiam collinare; id quod s. *Augustinus* expresse asserit, fidenter ad auditores suos pronuncians: *Certe illud neminius, saepe vos audivisse, quod dicimus: vix est, ut in psalmis inveniamus voces, nisi CHRISTI et ECCLESIAE; aut CHRISTI tantum aut ECCLESIAE tantum, quod utique ex parte nos sumus*.

COROLLARIUM. Minus probanda, hoc praesertim tempore, videtur trium literatorum in Gallia virorum opera *Ludorici de Poix*, *Hieronymi de Arras*, *Claudii Francisci de Paris*, qui ante annos non adeo multos novam psalmorum ex hebraico versionem atque explicationem pro-

(5) II. Reg. c. 23, v. 4.

(6) L. contra *Praxeam*, c. 1.

posuere, in qua potissima psalmorum parte ad veterem et novum I-sraëlem relata, Christo Domino non nisi septem ex omni numero κατά λέξιν convenire docent. Sed maiori ipsis laude respondit cl. *Rondetus*, ostenditque, multo plures psalmos κατά λέξιν ad Christum pertinere; imo Christum et ecclesiam sensum esse principalem, h. e. propheticum et spirituale omnium psalmorum. Porro insigne quoddam schema de illustrioribus psalmorum prophetis expressius ad Christum Dominum relatis exhibit *Hermannus Goldhagen* (1).

14. QUAERES XII. Quomodo intelligendum illud (psalm. 13, v. 3): OMNES DECLINAVERUNT, SIMUL INUTILES FACTI SUNT, NEC EST QUI FACIAT BONUM USQUE AD UNUM; cum tamen multi in s. Scriptura nominentur iusti, et inter caeteros *Zacharias* et *Elisabeth*? Omissis aliorum responsionibus, quas *Cornelius a Lap.* (2) accurate recenset, respondeo cum eodem laudato auctore, psalmistam in citatis verbis describere corruptionem naturae humanae, omniumque hominum, si sola eorum natura peccato vitiata, sine Dei gratia illum reparante et restaurante consideretur. Tali enim statu homines in omnia peccata proclives ruunt. Non autem loquitur psaltes de hominibus, in quantum vera fide et gratia divina instructi sunt, quales erant *Zacharias* et *Elisabeth*. Quod vero hic sit genuinus sensus citati psalmi, inde patet quia s. *Paulus*, qui verus est *Davids* interpres, citata psal. 13 verba hoc sensu allegat in epist. ad romanos (3) dicens: «Causati enim sumus (h. e. iam causam attulimus) iudeos et

(1) Introduct. in s. Scripturam p. 2, sect. 5, pag. 246, num. 136-142.

(2) Comment. in epist. ad romanos c. 8, v. 10, 11 et 12

graecos (seu gentiles) omnes sub peccato esse: sicut scriptum est: quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requires Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Quibus verbis apostolus ostendit, omnes homines tam iudeos quam gentiles esse peccatis obnoxios, et egere gratia Christi, nec eosdem a peccato liberari et iustificari, nisi ex fide in Christum propitiatorem, et per gratiam Christi. Quare cit. loco genuinus horum verborum, non est qui faciat bonum, sensus est: Non est qui ex se, sine Dei, id est Christi gratia, faciat bonum, scilicet tale, quod sit perfecte et absolute bonum et iustum coram Deo, seu meritum gratiae, iustitiae aut vitae aeternae, etsi possit facere aliqua opera moraliter bona. Hinc ergo non sequitur, omnia opera infidelium esse mala et peccata, sed tantum esse inepta ad iustitiam et gratiam Dei ac vitam aeternam promerendam. Hoc enim, quod ista promeretur, cit. loc. vocatur bonum; prout ex intentione et scopo s. *Pauli* manifestum est.

15. QUAERES XIII. Quomodo verba illa psalmistae (psalm. 31, v. 3): QUONIAM TACUI, INVETERAVERUNT OS-SA MEA; DUM CLAMAREM TOTA DIE, intelligenda sint? Si enim tacuit, quomodo tota die clamavit? aut si tota die clamavit, quomodo maxime tum tacuit? Psalms hic agit de peccato et poenitentia *Davids*: et secundum plerosque interpres putatur scriptus post reprehensionem, qua *Nathan Davidem* ob crimen adulterii et homicidii commissum obiurgavit. Itaque citati versiculi, adstipulante *Theodoreto*, *Athanasio*,

(5) Cap. 5, v. 9-15.